

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 15 (Constanter
novimus, si noluimus occulere...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 15 (Constanter
novimus, si noluimus occulere...)*

Constanter novimus, si noluimus occulere veritatem litteralem scienciam fuisse multis et innumeris gradariam ad virtutes nec potest non esse notorium apud aliquem sane mentis, quia eadem a fastibus honoris ad fascēs honoris, ab ingratis fastidiis ad grata fastigia suos afferat possessores, de pauperibus divites, de rudibus eruditos et claros efficiens de obscuris. Cuius igitur nisi forte carentis prorsas acumine rationis prior intencio studiis desponsata postmodum in eorum fornacibus fornicetur? Cuius animus frequenter accensus ad studia demum in studiorum ignibus extingatur et ipsum eorum calor restringeret honesto proposito delirantem, cuius industria pro minimo precio preciosas sibi non comparet incomparabiles sciencie margaritas? Hec quidem mee lingue lima tibi non mittitur oportuna, ut absterget a corde tuo rubiginem, quam eidem comperto procul dubio non inesse, sed ut eius officium non inutile reddat illud clarius expositum. Ha, frater carissime, pro Deo studium non supendas, sed expendas in eo commode tempus tuum, in urente tua tibi, dum potes, thesauros sapiencie thesauriza et eius adipe; tuus animus inpinguetur, in fonte nascenti sepultus bibas, ne claudas ostium labiorum, queras in inora scienciam, ut in sciencia captes famam, in fama alios prevenias ad honorem, in honore divicias consequaris.